

5. Per fidem sumus membra CHRISTI, & Filii DEI, Joh. I, 12. Eph. III, 17. & hoc non solorum electorum est, qui in fide ad finem usque perseverant ac salvantur; Eph. I, 5. Matth. XXIV, 13. Sed etiam eorum, qui ad tempus credunt, tempore tentationis, deficiunt, & a fide aberrant, Luc. VIII, 13. I. Tim. VI, 10. Gal. III, 26.

6. Fides non ad tempus, sed ad mortem, usque, electionis & salvationis *κρίτηριον* est, 2. Corinth. XIII, 5. collat. cum Apoc. II, 10.

7. Omnibus fidelibus usque ad mortem, datur vita æterna, *Job. III, 16. 18. Cap. V, 24. Cap. XI, 25. 26.* Ergo, illa solis electis datur: quoniam hi soli finaliter credunt, *Job, X, 28.* collat. cum *Apoc. II, 10.*

CAPVT XXX.

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Pag. m. 168. Aphorismus I.

Vere fideles fidem fideique fructum nunquam totaliter & finaliter amittunt, aut a gratia DEI excidunt.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Ipse quidem DEVS in fide & charitate conservare vult; Jer. XXXII, 40. Ps. XXXVII, 23. 24. 28. Joh. X, 28. 29. I. Petr. I, 5. interdum tamen circa fidem faciunt naufragium, I. Tim. I, 19.

2. Vivum DEI Verbum semen fidei & regenerationis immortale est, & manet in æternum, I. Petr. I, 23. I. Joh. III, 9. unde omnes regenerati & fideles, ad mortem non peccant, scil. quam diu custodiunt se, I. Joh. V, 17. 18.

3. Insolubile, inter veram fidem, non ad tempus videlicet, sed ad finem usque perseverantem, & vitam æternam est vinculum, Matth.